

## Servius entre philologie et grammaire

- 1) iam variae pelagi volucres et quae Asia circum  
dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri  
certatim largos umeris infundere rores:  
nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas  
et studio incassum videas gestire lavandi.  
(georg. 1.383-387)

Serv. *ad georg.* 1,383: IAM VARIAS etc. haec est vera lectio, et sensus talis est: iam varias pelagi volucres et eas, quae circum Asia prata rimantur in dulcibus stagnis Caystri, videas certatim largos umeris infundere rores et coetera. Nam si 'iam variae' legeris, sensus nulla ratione procedit.

Conte 2005 *app.*: A plerisque dissentio qui volunt *variae volucres* nominativum pendentem esse quocum verba sequentia pro anacoluthon coniungantur. Si post *rores* satis fortiter distinguitur, haec sententia habet pro verbo infinitum descriptivum *infundere* et pro subiecto *variae volucres*.

- 2) At mecum raucis, tua dum vestigia lustrō,  
sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.  
(ecl. 2.12-13)

Serv. *ad ecl.* 2.12: 'ad' si per 'd' fuerit, erit hyperbaton, ut sit "dum tua lustrō vestigia, ad me arbusta resonant cum raucis cicadis". Sed melius est, ut 'at' coniunctio sit et ita intellegamus: "Thestylis herbas tritas messoribus portat, verum mecum resonant arbusta a raucis cicadis".

- 3) Iuvenes, fortissima frustra  
pectora, si vobis audentem extrema cupido  
certa sequi, quae sit rebus fortuna videtis.  
(Aen. 2.348-350)

Serv. *ad Aen.* 2.349: Obscuritatem autem facit hoc loco et synchysis, id est hyperbati longa confusio, et falsa lectio; nam multi 'audendi' legunt, multi 'audenti'. Sed neutrum procedit. Ergo 'audentem' legendum est.

- 4) et angit inhaerens  
elisos oculos et siccum sanguine guttur.  
(Aen. 8.260-261)

Serv. *ad Aen.* 8.260: angit guttur' bene dicimus, 'angit oculos' non procedit. Ergo 'angit' ad unam rem pertinet, ut "disce, puer, virtutem ex me verumque laborem, fortunam ex aliis" [*Aen.* 12.435] : nam fortuna non discitur. Unde multi 'elidens' legunt, et integer sensus est : nam 'elisos' soloecophanes est, ut sit ita 'angit guttur et elisos oculos facit'.

5) Quint. *inst.* 8.6.43: duo [*scil.* epitheta] vero uni adposita ne versum quidem decuerint.

6) Serv. *ad Aen.* 3.70: LENIS CREPITANS AUSTER duo epitheta posuit vitiose [...], fecit autem hoc prope in decem versibus.

7) Serv. *ad Aen.* 12.888: INGENS ARBOREUM non sunt duo epitheta; sed Aeneas ingens telum coruscat arboreum.

8) Serv. *ad Aen.* 10.44: CONIUNX DURA hic distinguendum, ne incipiant esse duo epitheta ‘dura fumantia excidia’.

9) comantem  
Androgei galeam clipeique insigne decorum  
Induitur.  
(*Aen.* 2.391-393)

Serv. *ad Aen.* 2.392: INSIGNE DECORUM ornamentum decorum: non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. Fecit hoc tamen Vergilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt, ut “lenta quibus torno facili super addita vitis”, cum antea ‘facilis’ fuerit.

10) lenta quibus torno facili super addita vitis  
diffusos hedera vestit pallente corymbos.  
(*ecl.* 3.38-39)

Serv. *ad ecl.* 3.38: QVIBVS TORNO FACILIS Donatus sic legit, legitur tamen et ‘torno facili’ ad excludenda duo epitheta, quod est in latinitate vitiosum, si sit ‘lenta facili vitis’

11) unde pater Tiberinus et unde Aniena fluentia  
saxosusque sonans Hypanis Mysusque Caicus.  
(*georg.* 4.369-370)

Serv. *ad georg.* 4.370: et ‘saxosum’ legendum, non ‘saxosus’, ne sint duo epitheta: quod apud Latinos vitiosum est.

12) Tum pater Evandrus dextram complexus euntis  
haeret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur.  
(*Aen.* 8.558-559)

Serv. *ad Aen.* 8.559: HAERET INEXPLETUS multi hic distinguunt, ut sit ‘inexpletus haesit et talia locutus est lacrimans’. Alii legunt ‘inexpletus lacrimis’. Honestius tamen est ‘inexpletum lacrimans’, ut sit nomen pro adverbio, idest inexplebiliter.

13) tristisque palus inamabilis unda. (*Aen.* 6.438)  
tarda que palus inamabilis unda. (*georg.* 4.479)

Serv. *ad Aen.* 6.438: TRISTIQUE tristi unda palus inamabilis, ne si ‘tristis’ dicamus, duo sunt epitheta.

14) optatos dedit amplexus placidumque petivit  
coniugis infusus gremio per membra soporem.  
(*Aen.* 8.405-406)

SD *ad Aen.* 8.406: multi autem cacephaton accipiunt, ne duo epitheta videantur, ‘placidum’ et ‘infusum’.

Gell. 9.10.6: *egregiam totius istius verecundiae laudem insulsa nimis et odiosa scrutatione violavit.*

15) Macr. *Sat.* 5.14.7 (Hom. *Il.*, 3.182: ὦ μάκαρ Ἀτρεΐδῃ, μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον).